

915-916 HYMNUS DE GLORIA
PARADISI *Petri Damiani, cardinalis Ostiensis,*
ex dictis beati Augustini.

Ad perennis vitae fontem mens sitivit arida,
Claustra carnis praesto frangi clausa quaerit anima.
Gliscit, ambit, eluctatur exsul frui patria,
Dum pressuris ac aerumnis se gemit obnoxiam;
Quam amisit cum deliquit, contemplatur gloriam.
Praesens malum anget boni perditionis memoriam. Nam quis
promat, summae pacis quanta sit laetitia?
Ubi vivis margaritis surgunt aedificia.
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia;
Solis gemmis pretiosis haec structura nectitur.
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur:
Abest limus, deest fœmus, lues nulla cernitur.
Hiems horrens, aestas torrens illic nunquam saeviunt.
Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum. Candent lilia,
rubescit crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum; Pendent poma
floridorum non lapsura nemorum.
Non alternat luna vices, sol, vel cursus siderum:
Agnus est felicis urbis lumen inocciduum.
Nox et tempus desunt ei, diem fert continuum.
Nam et sancti quoque velut sol praeclarus rutilant, Post
triumphum coronati mutuo conjubilant,
Et prostrati pugnas hostis jam securi numerant;
Omni labe defaecati, carnis bella nesciunt.
Caro facta spiritualis, et mens unum sentiunt.

Pace multa perfruentes, scandala non perferunt:
Mutabilibus exuti, repetunt originem,
Et praesentem veritatis contemplantur speciem, Hinc vitalem
vivi fontis hauriunt dulcedinem.
Inde statum semper iidem exeuntes capiunt;
Clari, vividi, jucundi, nullis patent casibus:
Absunt morbi semper sanis, senectus juvenibus.
Hinc perenne tenent esse, nam transire transiit: Inde virent,
vigent, florent, corruptela corrui,
917-918 Immortalitatis vigor, mortis jus absorbit.
Qui scientem cuncta sciunt, qui nescire nequeunt;
Nam et pectoris arcana penetrant alterutrum. Unum volunt,
unum nolunt, unitas est mentium;
Licet cuique sit diversum pro labore meritum,
Charitas haec suum facit, quod amat in altero;
Proprium sic singulorum commune fit omnium.
Ubi corpus, illic jure congregantur Aquilae,
Quo cum angelis et sanctis recreentur animae.
Uno pane vivunt cives utriusque patriae.
Avidi et semper pleni, quod habent desiderant.
Non satietas fastidit, neque fames cruciat: Inhiantes semper
edunt, et edentes inhiant. Novas semper harmonias vox
meloda concrepat
Et in jubilum prolata mulcent aures organa;
Digna per quem sunt victores regi dant praeconia.
Felix coeli quae praesentem regem cernit anima,
Et sub sede spectat alta, orbis volvi machinam,
Solem, lunam, et globosa cum planetis sidera.
Christe, palma bellatorum, hoc in municipium
Introduc me post solutum militare cingulum,
Fac consortem donativi beatorum civium.

Praebe vires inexhausto laboranti praelio;
Ut quietem post praecinctum debeas emerito:
Teque merear potiri sine fine praemio. Amen.